

Reuerende in Christo pater

Pax Christi

135

Ex ultimo pene orbis angulo, ad precipuum orbis caput, experuio in stali-
liam ex residentia Juliensi Romam hanc scribo, ignotis ad communem tantum
orbis famam notum, si eam quam preclarum ingenii tui partus indidere notitiam
et discipulus quondam R.V. p. Nicolaus Mascardus mihi communicauit, exci-
pias, quae si coaceruem vel notissimus dici poterit, et ut defint haec omnia
Belga Germanique inferioris, ad Germanum scribo. qui solus anno 1647 ex
50 sociis tum belgis tum italibus ad Indias peruanas euasi, nescio quo fato
hispani tunc et 3^o deinde anno Lima familiariter satis Mascardo usus
eam quam de vna omnigena doctrina opinionem ex suis libris hauseram
vehementer auxit; Legeram quippe artem Copticam et artem magnam
lucis et umbræ (quam hic teneo) et expectationem magnam Edipi
Egyptiaci, quam in Belgio excitarat, nec ignorauit nec minorem habui.
quae omnia mouerunt animum ut obsequium R.V. meum si qua in re
proficuum esse possit, offeram et de tribus hisce litterarum incognitarum
sensu consulam. Primas litterarum notas in ^{Lapidea} cruce sculptas repere-
runt hollandi in ultima septentrionis parte iuxta fretum Nassa-
uicum vulgo Baygat in cuspide noue zemle ut refert illorum
itinerarium navigationis in chinam intentatis per Joannem huygens

Secundas reperi in imagine deipare in Insula tenerifa quae
Canariarum est celeberrima et postmodum, impressas in libello
hispanico idiomate per p. f. Alonsum de Espinosa impressum anno
1594. quo de hac tantum insula tractat, et eandem quam ego
horum characterum explicationem desiderat.

Tertias demum notas in hac peruana provincia 15 ab urbe
limana lapide et 3 ab indorum vico qui Mala vocatur, situs in itinere
limano piscum verps, in alio indorum vico ^{qui} dictus Calango vicinior
est Albitus peruani. habentur notae in rupe quae super terram prominet

281
duabus circiter vlnis. planiciem habet ^{longam} 6 vlnis, latam tribus vel quatuor
marmoris ceruleo et albicanti similis, in qua planicie vestigium hoc
bene formatum et tribus fere digitis altum, lapidi impressum spectatur
cum hisce notis. fama est inter indos, inter quos repertus vnus
147 annorum qui rem omnem edocuit. fuisse hoc vestigium lapidi
isti impressum ab vltima maiorum memoria et plurimis seculis
ab homine albo colore prout europæi qui vestitus vincebat tunica
vsg talos dependente qui ipsis predicabat deum de quendam
factorem celi et terre, et in confirmationem eorum quæ dicebat
in illa durissima rupe digito sine ulla vi, perinde ac si in aqua
vel arena scriberet istos efformarat caracteres, et abiens
reliquerat impressum illud vestigium. qui lapis semper in
magna apud eos veneratione habitus, vel maxime postquam
Indus quidam, qui in contemptum communis venerationis voluit
super eundem lapidem cum concubina rem habere, fulmine
ictus interit ipso in loco pariter cum muliere sacrilega. in
cuius rei memoriam addiderunt Indii infra lineam rectam
tres illos circulos concentricos prope pedis vestigium inferius.
reliqui vero duo baculi cum tribus pariter circulis concentricis
ex vtroq; vestigii latere mihi visi magnam habere similitudinem
cum fascibus quibusdam qui inter ceteros Indge præferebantur et
idem hic nonnulli approbarunt. aliqui suspicati sunt, dicere reliquos
caracteres: Jesu Christi Didymus. sed mera coniectatione eo quod
S. Thomæ vestigium esse arbitrentur ex communi traditione quod vel ipse
vel S. Bartholomæus hunc orbem lustrarit, alterutrum enim per
pay Zumè vel pay Tumè ut illum Indi appellant, intelligi volunt.
sed genuinam a VR expecto interpretationem si deo placitum
fuerit ut ab humano ingenio explicentur. similiter si alterius
lapidis caracteres qui in hac provincia extar dicuntur nactus fulcro
pariter ad R. V. transmittam.

His addo spectaculum quoddam in aere visum 28 novembris
 anni 1652 in urbe pazensi vulgo Chuquiabo hora 9 et $\frac{1}{2}$ matutina
 quod plerosque illius urbis et adiacentium villarum habitantes
 exterruit. sol nimirum, albi coloris lancea, traiecit et 4 circulis
 rubri coloris cinctus ut figura demonstrat. luna prope ipsum
 solem spectabatur, ^{cum integro signo abesse secundum cursum ordinatum} et ex ipso solari corpore aut procul circa illum
 visa exire stella et postea verum ad locum suum prope solem
 redire. variis insuper videbantur circa solem flammarum
 vortices quorum maximus ex vape ilimani quae urbi pazensi
 imminet erumpere videbatur. per horam integram duravit
 hoc spectaculum. in sequenti deinde mense decembris, 15 die
 apparuit ibidem Cometa geminus qui ab altero latere descriptus
 est in eadem carta, Decassatis caudis, et tertio per exiguo
 ex altero duorum promicante ut ex figura patet.

Idem Cometa quamvis non eadem figura visus est eodem
 tempore in chilensi provincia, lime, chuquisaca, potosi, oruro
 et a me observatus Cusci, apparuit 15 decembris et ultimo
 eiusdem mensis die evanuit. ortus dicitur prope argonauium
 primis enim diebus aliis intentus nec eundem spectavi nec ortum
 sciri. sed 20 decembris eundem vidi prope stellam ^{19^{ma}} quae est in pede
 orionis. deinde per eius clypeum, deinde iuxta tauri oculum ad
 plerades declinans et vix unius geometrici pedis distantia ab iis
 deflectens ad septentrionem transiens inter pedem Medusae et caput
 persei circa Cassiopeam evanuit omnino ultimo decembris.
 primis illam caudatam Cusci et alibi spectarunt, sed tantum primis
 8 diebus postea enim paulatim cauda evanuit, ego illum spectavi
 semper instar stellae nebulae quae est in Cancro; omnia circumcirca
 nebulosa luce illustrantem ad duos palmos hispanicos seu pedem pene
 geometricum. praeter haec paucarum collis (indorum pagus est prope lacum

titicanum seu chucuitanum) audita est tuba seu potius inflatam
cornu magno temporis spatio ex aere horribili sonitu cunctos
terrenget eodem pene tempore Truxilli igneus e celo globus decedens
ingenti magnitudine per tria milliaria terram radens usq. ad
mare cucurrit, cuius se involuens fluctibus per quinque
leucas et amplius omnes pisces interfevit, illico maris superficiem
immensa copia obtegentes. Deus bene vortat omnia, omnes enim
inuasit timor; Utinam diuturnus. a duobus mensibus ingens terrae
motus Cailloma indorum populum et Argenti fodinas locupletes
ad modum plane diruit 14 homines occisi et alii 60 latitant sub
ruinis ut fert computus incolarum, necdum enim hactenus
reperi aut effossi. Haec pauca quidem quae modo R. V. scribenda
occurrunt, et quidem plura scribere insequentibus annis optem
sed meliora; si quidem observationem in sole, vel luna hic fieri
velit R. V. quidquid ope & potuero perlibenter impendam. Cum
nullas in sole maculas anno 1649 deprehendere unquam potui
forsitan fuerit tubi exilitas in causa duas enim spiritamas vix excedo
bat, sine tubo in obscuris etiam in quavis distantia nunquam eas
deprehendi, cum tamen hispani in his antecedentibus annis sed
tubo longiore (quem naufragium hauserat in portu cum ceteris sarcinis)
sepe sepe spectarim et aliis spectandis obiecerim. postmodum
nunquam experientiam sumere tentavi. Interim me ff. R. V.
sacrificiis enixe commendo, sub quouis polo Deo et R. V. seruire
paratissimus. Juli in provincia peruviana. Julii 20. 1653.

Delinationem Solis et Cometae

velim R. V. communicet p. othoni

Zylis Belga et sciat R. V. mascardum

valere ut testantur quas a 2 mensibus

e chilensi provincia ab ipso accepi litteras

totum promissum Theologiam in missis ab ipso thesibus quas in chile fuerunt prius

R. V. servus in Christo

Joannes de Coninck

Socius Jesu